

## Band II., Nr. 548, Seite 379-380

*Bischof Siegfried von Augsburg nimmt das Kloster Steinheim (am Albuch) mit dem von Witegow von Albeck dahin erkauften Gute samt der Kirche und deren Patronatrechte zu Steinheim in seinen Schutz.*

Ohne Ortsangabe, (1209.)

+ In nomine sancte et individue trinitatis, ego Sifridus, dei gratia Augustensis ecclesie episcopus, in perpetuum. Sicut pium est et laudabile, ut viri religiosi, divinis officiis deputati, suis nos orationibus adiuvent, et pro statu ecclesie totius iugiter ante deum orationes et vota continent, ita quidem ordo rationis expostulat, ut bona temporalia que rationabiliter ad illos quomodo deveniunt, salva illis in suo statu permaneant, et ne quorumlibet in posterum presumptione turbentur, dignum est ut clementia principum illorum prosperitati et paci provida benignitate prospiciat. Eapropter, dilecti filii nostri prepositi in Steinheim et venerabilium fratrum sub regulari professione inibi deo militantium iustis postulationibus benigno concurrentes assensu, universe fidelium generationi declaramus, qualiter vir nobilis Witegōs in Albecke predium ville que Steinheim dicitur et omnia sibi attinentia, id est ecclesiam cum iure patronatus, ius instituendi pastores super armenta, potestas concedendi fundos et recipiendi censum, tam illis quam diversarum artium cultoribus inpositum, cum omnibus appenditiis suis, scilicet agris, campis, pratis, pascuis, silvis, viis, inviis, cultis et incultis, digno precio centum videlicet marcis argenti, vendidit preposito et fratribus memoratis et predicto cenobio, quod eidem ville proximum est et eodem nomine, sicut supra diximus, Steinheim vocatur, perpetuo possidenda cum omni proprietatis iure donavit. Sane ius advocatie sub hac sibi conditione retinuit, ut ab ipsius predii cultoribus et habitatoribus datam que vulgariter stivra dicitur, modeste, servata favorabili misericordia et rerum considerata quantitate, ipse recipere debeat, excelsus delinquentium, que alio idiomate vnreht, frauelin appellantur, censura discrete severitatis emendet et corrigat. Nos igitur huius emptionis conventiones prefato monasterio Steinheim presentis scripture pagina et sigilli nostri autoritate roboramus, et locum ipsum divino cultui mancipatum, cum predio iam dicto et cum omnibus ad se pertinentibus, in nostre tuitionis protectione suscipimus; statuentes, ut quascumque possessiones, quecumque bona idem cenobium in presentiarum iuste et legitime possidet, aut in futurum quibuscumque iustis modis deo propitio poterit adipisci, firma illi in perpetuum et illibata permaneant. Decernimus ergo, ut nulli hominum liceat locum ipsum temere perturbare, aut eius possessiones

## II

aufferre, aut ablatas retinere, vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, fratrum ibidem deo famulantium usibus profutura. Ceterum si quis huius nostre confirmationis et constitutionis decretis contraire temeraria presumptione temptaverit, banni nostri vinculo se noverit esse ligatum, et cum hac cathena ad tribunal eterni iudicis pertrahendum. Huic facto interfuerunt et testes sunt: comes Egeno de Vrach. Siboto de Albecke. Cūnradus de Berge<sup>1</sup>. Vlricus de Furtheim<sup>a</sup> forstmeister. Heinricus de Eristeine. Wernherus pincerna de Albecke. Beringerus et Otto de Suntheim et alii multi.

—

Der Textabdruck folgt dem Original.<br> <br> Ein beinahe ganz formloses Bruchstück eines Siegels hängt an rot und hellblauer Seidenschnur.

---

<sup>a</sup>Vermutlich *Furcheim* zu lesen.

<sup>1</sup>Burgberg (Giengen an der Brenz), HDH, vgl. KB Heidenheim, Bd. 2, S. 51

## Überlieferung und Publikationen

**Lagerort:**

HStA Stuttgart

**Signatur/Titel des Originals:**

A 495 U 164

**Überlieferung und Textkritik:**

War früher im HStA München. Eine weitere Ausfertigung in Wien, HHStA, RHR Grat. Feud. Conf. Priv. dt. Exped. 210-1.

**Editionen:**

MONUMENTA BOICA, HRSG. VON DER BAYERISCHEN AKADEMIE DER WISSENSCHAFTEN, 60 BDE., MÜNCHEN 1763-1916. [MIKROFICHE-AUSG.: Erlangen 1998], Bd. 33a, Nr. 51, S. 50. Urkunden Hochstift Augsburg Nr. 43, S. 21.

## Weitere Angaben

**Sprache:**

Lateinisch

**Ausstellungsort:**

Ohne Ortsangabe

**Ortsindex:**

Albeck Wohnplatz (16843)<br> Albeck, Langenau, UL<br> Augsburg, A<br> Bad Urach Wohnplatz (15999)<br> Bad Urach, RT<br> Burgberg Wohnplatz (4066)<br> Burgberg, Giengen an der Brenz, HDH<br> Ehrenstein Wohnplatz (17016)<br> Ehrenstein, Blaustein, UL<br> Furtheim (abgegangen bei Mergelstetten, Giengen an der Brenz, HDH)<br> Sontheim an der Brenz Wohnplatz (4150)<br> Sontheim an der Brenz, HDH<br> Steinheim am Albuch Wohnplatz (4164)<br> Steinheim am Albuch, HDH